

AEQVATORIVM
CONSTRVCTIO INSTRVMENTI
Veneris.

COMPOSITIO organi Veneris persimilis est compositioni trium superiorum, præterquam quod semidiame-
tro à D centro in punctum usq; sub orbe signorū datum,
in sexaginta partes diuiso, numerabitur una pars, & 15 min.
unius sexagesimæ, quæ quidem κ centrū æquantis indicabit. Hæc igi-
tur κ D linea cū in duas partes in centro eccentrici secta fuerit à C pun-
cto, numerabuntur partes 30, quarum finis sit A centrum epicycli Veneris,
ab hac deniq; partes 21, minuta 35 numeratæ ostendent E punctū,
& linea A E erit semidirometer epicycli Veneris, reliqua ex prioribus
colliges.

¶ Vocabulorum interpretatio eadem est cum tribus superioribus,
ex quibus etiam studiosus eam petere poterit.

¶ Verum locum Veneris scrutari.

SADEM est motus ueri Veneris inquisitio, quæ & trium
superiorum. Esto enim exempli caufa, medius motus Ve-
neris tempore dato, qui & medius Solis motus, signorum 10
graduum 5, minutorum 21, secundorum 42. Argumentum
autem medium signi unius, graduum 26, minutorum 29, secundorum
55. Cum quibus si iuxta doctrinam canonis egero, inueniam uerū Ve-
neris locum in 28 gradu Aquarij, eamq; directam, cum argumentum
eius sit in superiore epicycli arcu, fuisse indicat.

AEQVA-